



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 2. Aliud dissidium Batavorum circa novam Litrugiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII.
A.C. 1662.

§. II.

Aliud dissidium Batavorum circa novam Liturgiam.

Ineunte hujus saeculi anno sexagesimo *Tuld. t. c.*
 tertio Batavi ob fanaticum sectae stu-*lib. 10.*
 dium graviter inter se collidebantur; cum
 enim Hollandiae & Frisiæ Prædicantes
 abolita veteri liturgia novam cuderent,
 sequentesque preces e suggestu pro Ma-
 gistratus incolumentate recitari præci-
 perent: *Oramus te, supremum Numen*
pro iis, quos nobis præficere voluisti Hollan-
diae ac Frisice Statibus, velut qui legi-
timus noster & supremus Magistratus sunt
 item pro Magistratu, & Regen-
 tibus hujus loci &c. mox comperta hac
 novitate ceteræ Batavorum Provinciæ
 in Hollandos & Frisones insurrexerunt,
 editisque scriptis huic liturgiæ contra-
 dixere, eoquod ejusmodi precum
 examen ac judicium sibi solis arrogas-
 sent, cum tamen id non ad unam al-
 teramve Provinciam, sed ad omnes,
 Synodosque spectaret; ac insuper novo,
 insolito, ac temerario ausu arctiore, quam
 inter se ante duodecim annos
 Hagæ Comitis pacti fuissent, unionem
 violassent: Verum res inter querelas
 hæsit; animosius autem eodem anno
 Batavi invidiam, odiumque suum in

A 3

Catho-

Sæc. XVII. Catholicos exerebant; cum enim Fal-
A. C. 1663. ckenissa olim Oirschottani Monasterii
Abbatissa ante quoquennium demor-
tua, sicut in vita, ita & post obitum
miraculis inclaresceret, ejusque cor-
pus a corruptione immune esset, proin
ad ejus sepulcrum Catholici magno nu-
mero confluerent, hinc Batavi edito
Ordinum decreto præceperunt, ut hu-
jus Sanctimonialis corpus exhumare-
tur, atque e sepulcro suo ad Sylva-
ducensem Ecclesiam translatum ho-
nesto loco conderetur: Insuper hi non
modo mortuis quietem, sed & vivis
Catholicis invidebant suis in terris ho-
nores; quippe hoc etiam anno Selandi
postulabant, ut communi Ordinum fœ-
deratorum decreto omnes Catholicci ad
militiae officia inhabiles declararentur:
Frisones quoque cunctos Sacerdotes
Catholicos ex sua Provincia expelle-
bant, suisque subditis severe inhibue-
re, ne suos filios studiorum caussa ad
Catholicorum terras Scholasque mit-
terent: magis adhuc severum edictum
adversus Catholicos quarto post anno
promulgarunt Gröningenses, apud quos
hucusque Catholicis occulto Religio-
nis suæ exercitio frui concessum erat;
cum autem Jesuitæ ibidem degentes
annue libellos typis evulgassent, qui-
bus cunctos a se a secta ad veram fi-

dem

dem conversos, nimis exacte enum- Sæc. XVII.
raverant, inde exacerbati Gröningen- A. C. 1663.
ses præceperunt, ut Sacerdotes, &
Religiosæ Virgines intra spatum vi-
ginti quatuor horarum e Provincia ex-
cederent, nec ullibi reciperentur, &
si quæ adhuc tolerentur, non plures
tamen, quam duæ in una domo essent:
de cetero autem Sacramentorum, scho-
larum, & rituum Romanorum usus
Catholicis omnino esset interdictus, ac
bis per annum eorum domus visitaren-
tur, transgressores vero gravi pecunia-
rum multæ inter pauperes, reorum de-
latores, & mandati executores divi-
denda plesterentur. Hæc absdubio
fusasit Calviniana charitas, toleran-
tiæ spiritus, & conscientiæ libertas.

§. III.

*Propositiones quædam a Regio Se-
natū proscriptæ.*

Magna animorum contentione hoc Ex aff. Par-
anno Parisiis exagitabatur doctri- lam.
na de Pontificis & Conciliorum aucto- Argentre
ritate; cum enim Gabriel Druetus Vil- Coll. Jud.
lanovanus Brito ac Theologizæ Bacca- t. 3. p. 83.
laureus die decima nona Januarii pu-
blicam disputationem habere decrevis-
set, atque inter alias Theses de Romano
Pontifice & Conciliis has tres proposi-

A 4

tiones